

SCRIPTA

Numéro Scripta : 947

Auteur(s) : Eugène III [pape]

Bénéficiaire(s) : Philippe d'Harcourt, Bayeux (évêque)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1153, 3 février

Lieu d'émission : Rome

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Eugène III donne une seconde bulle au sujet des privilèges de l'église de Bayeux, mais rédigée en d'autres termes que la précédente.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CLVI, t. 1, p. 193-197.
- b. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 64, p. 142-145.

Dissertation critique

Datation du 3 février 1152, ou plutôt 1153 est proposée par V. Bourrienne (« ce pape commençant l'année à Pâques », BOURRIENNE, t. 1, p. 189, 193).

Texte établi d'après a

Eugenius, episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Philippo, Baiocensi episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. In eminenti Ecclesiae specula, disponente Domino, constituti, ex injuncto nobis a Deo apostolatus officio, fratres nostros episcopos debemus diligere, ac, ne personae aut bona eorum pravorum incuribus et violentiae pateant, sacrosanctae Romanae Ecclesiae ipsis patrocinium impertiri, quatenus, nostro eis assistente praesidio, tanto sibi et subditis valeant utilius providere quanto ab ipsorum infestatione violentorum incurus fuerit attentius refrænatus. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis postulationibus benigno concurrentes assensu, Baiocensem ecclesiam cui, auctore Deo, praesidere dinosceris, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti patrocinio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quaecumque bona, eadem ecclesia in praesentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus haec, quae studio et labore tuo commissae tibi ecclesiae acquisita et recuperata noscuntur, propriis decrevimus vocabulis exprimenda : Cadumi, ecclesiam Sancti Petri, cum decimis, agris, pratis, et consuetudinibus ad eam pertinentibus, quam de manibus illorum, qui eam illicite detinebant, tuo studio retraxisti ; redditus et terras quas a venerabili fratre nostro,

Arnulfo, Lexoviensi episcopo, qui eas in feudum se tenere a Baiocensi ecclesia causabatur, centum marcarum pretio dinosceris redemisse ; villam de Campo Andrea, quam quinquaginta libris, et villam Sancti Supplicii (sic), quam centum libris a Roberto de Lucerna, et fratre ipsius, emisti : quarum utraque in feudum a Baiocensi ecclesia tenebatur : medietatem villæ de Dussi, et medietatem villæ de Loveriis, cum omnibus ibidem ad feudum episcoporum Baiocensium pertinentibus, quas in curia nobilis memoriæ Gaufridi, quondam Normanniæ ducis, per iudicium obtinuisti, et, datis quadraginta libris ei a quo tenebantur, in tuum dominium revocasti ; Baiocis, octoginta acras terræ, quæ fuerunt Radulfi de Dovera, et ibidem, feudum Huardi ; molendinum de Bosco Ale ; molendinum quod fuit Ricardi filii Savarici juxta Alam ; apud Doveram, terram quæ fuit ejusdem Ricardi, terram quæ fuit Willelmi, militis, centum acras terræ quæ fuerunt Conani, et quicquid ibi rationabiliter acquisisti ; terram de Burnovilla ; terram de Rosci ; partem villæ de Folia, pro qua Gaufrido, filio Mabilia, octo libras dedisti ; quartam partem Matomii, quam Eudo, dapifer, ab antecessoribus tuis in feudo noscitur tenuisse ; et ibidem, feudum quatuor militum ; et quicquid idem Eudo habuit in villa de Sancto Claro : terras videlicet, mansiones, molendinum, et ferias ; decimam quoque fori de Castro Tillei, quam habes ex dono Guillelmi, filii Johannis, cujus medietatem, altera medietate tibi retenta, tuis canonicis tribuisti ; et quicquid in villa Cambremari iudicio, emptione, aut aliis justis modis, ad tuum dominium revocasti ; præterea, ecclesiam Sanctæ Mariæ in vico Frigido, cum terra de Dovera quæ cognominatur thesaurarii, quas Roberto de Torvilla, et terram de Polineio, quam Guillelmo de Tornebu, sub eo tenere, dedisti : ut, post decessum eorum, ad manus tuas, aut successorum tuorum, debeant revocari. Ad hæc, quum alia quædam, tuo studio acquisita, quibusdam ecclesiæ tuæ personatibus assignasti, ut in eorum usibus quod canonice personatus ipsos habuerint debeant remanere, ad petitionem tuam ea ipsis personatibus præsentis privilegio confirmamus : thesaurariæ, videlicet, capellam Sanctæ Mariæ Magdalænæ apud Bernerias, et terram de Coniun, quæ fuit Turstini Barboti, quam a Roberto de Sancto Remigio viginti, et a Gaufrido de Foro decem libris redemisti ; subdecanatui : ecclesiam de Spineto, ecclesiam de Sancto Manveio, ecclesiam de Folia, et ecclesiam de Bunnea ; succentoriæ : ecclesiam de Heriz, cum decimis ejusdem villæ, ac terris ad eam pertinentibus, et, in ecclesia de Summerveio, oblationes, decimas, et rationabiles consuetudines de medietate ipsius villæ provenientes, illa, videlicet, quæ est de dominico Roberti de Novoburgo, salva nimirum tibi, et successoribus tuis, in eisdem ecclesiis canonica (sic) justitia. Quum etiam, in antefacta ecclesia Sancti Petri apud Cadumum, redditus duodecim librarum monetæ Andegavensis in præbendam unam, et ecclesiam Sancti Johannis in vico Oximensi cum terra quæ fuit Alexandri, in valle de Escures, et decima quæ est in Aldreio de feudo Willelmi de Fontaneio, in alteram præbendam, ad servitium Baiocensis ecclesiæ, te asseris rationabiliter deputasse, atque de decima feudi Symonis de Bosvilla, in Fougerolles, præbendam Rodulfi Patric quæ pauper erat primitus suppluisse, id ipsum nos, ad petitionem tuam, præsentis scripti pagina confirmamus, et futuris temporibus inconcussum permanere sancimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat præfatam ecclesiam temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu aliquibus vexationibus fatigare, sed illibata omnia conserventur eorum pro quorum gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. Si qua igitur, in futurum, ecclesiastica sæcularisve persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi præsumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se iudicio divino existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum actionis bonæ percipiant, et apud supremum iudicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, per manum Bosonis, sanctæ Romanæ ecclesiæ scriptoris, tertio nonas februarii, indictione quinta decima, Incarnationis dominicæ anno millesimo centesimo quinquagesimo secundo, pontificatus vero domni Eugenii papæ tertii anno octavo.